
AD CLEMENTEM OCTAVVM

PONT. OPT. MAX.

IANI PELVSII CROTONIATAE

Næniarum Liber Primus.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE,

Ex Typographia Gabiana. M D XCIII.

CLEMENTI IIX.
PONT. OPT. MAX.
IANVS PELVSIVS
CROTONIATA
S. D.






OGITANTI mihi cui potissimum Heroi has nænias donarem: tua Sanctitas in primis dignissima visa est, in cuius tutela, & patrocinio apparerent, & per orbem terrarũ tuto, & libere vagarẽtur: nec id sane immerito. Vt enim ALEXANDER FARNESIVS Parmæ, & Placentiæ Dux Serenissimus bellica disciplina Europę Ducibus antestetit: sic tu CLEMENS IIX. Max: Opt: Pontificibus S. R. & Catholicę Ecclesię regendę peritia antecellis. Huc ac-

cedit: quod nostriDucis inuictissimi obitum tam grauiter tulisti, vt etiã fleres, & nostram omnium Christianorum vicem doleres. Accipe igitur Max: Opt: Pontifex hoc munusculum eo vultu, atque animo, quo superioribus diebus hymnos accepisti: & Pelusium Sanctitatis tuæ studiosissimum (si Beatitudini tuæ ita videbitur) in tuorum famulorum numerum ascribe. Deus Opt: Max: his tristissimis temporibus te diu nobis seruet incolumem. Vale. Romæ ex Aedibus FARNESIANIS Idibus Ianuarij. Anno à Christo nato M D XCIII.

AD

AD CLEMENTEM IIX.

PONTIFICEM OPT. MAX.



LEMENS Sacerdos Optime Maxime,
Christus Mariæ filius & Dei,
Iratus est nobis: nec audit
Aure preces facili precantum.
Peccata iustis supplicijs solet
Punire gentis, quæ sceleri scelus
Miscere gaudet, & rapinis
Viuit, & has maculat cruore:
Hoc ipse certis indicijs docet,
Heroa clarum Palladis artibus,
Vsusque Martis, & duelli
Ante alios Proceres scientem
Quod Christianis ciuibus abstulit:
Sinitque Turcas vipereum genus
Per Iulij forum sibi amplam
Ense viam faciant ad Vrbem,
Quam magnus olim filius Iliæ
Sic auspicata condidit alite,
Regina vasti vt esset orbis,
Et Fidei, Imperijque sedes.
Nec absque causa cælipotens Deus
Cunctis relictis vrbibus, & locis,
Quot Cynthius lustrat, citatis
Tempora distribuens quadrigis,
In Vaticano colle Vicarius
Christi superni, & clauigeri Petri
Successor, imperauit Orbi
Iura daret, regeretque gentes:
Regnique fasces de Solyma auferens
Euersa ab alto culmine, & incolis
Paruo are venditis: eosdem
Expulit e genitrice terra.

Quo Musa tendis? quaso reuertere
Ad instituti carminis ordinem.
Curis solutus IANVS alto
Hac melius canet in Latymno.
Alumna Mortis terrifica fames
Sæuit per omneis Italia plagas,
Et pauperum sternit cateruas
In casulis, tuguri que tectis.
Ego ipse testis verus, & integer,
Multos egenos, atque inopes viros
In Gallia vidi togata
per medias plateas perire.
Arata tellus temporibus suis
Fruges colonis denegat: & parit
Pro frugibus vepres nocentes,
Et lolium, & steriles auenas.
Nostris ab agris (vt video) Ceres
Curru per auras pennigero volans,
Ab orbe diuisos Britannos
Fugit & ad gelidos Polonos.
Et iam Lyaus se parat ad fugam,
Ibitque vastum per mare ad Indiam,
Ac vineas cadens feraces,
Pro Bromio dabit amnis vndas.
Nam qua bibendi tanta licentia
Ex tam Bibaci Teutone ad Italas
Est vecta mensas, more Thracum
Poscat vt ad pateras tumultum?
Haurire poclis vina capacibus
Primis ab annis ingenuus puer
Assuescit, & puella matrem
Exuperat temulenta potu.
Non sic iuuentus orta prioribus
Seclis solebat perdere Liberi
Falerna, nec Gracatione
Assidua lapidare gazas:
Sed docta glebas frangere sarculo

A Solis

A Solis ortu lumen ad Hesperi,
Studere cultis & seueri
Patris ad arbitrium libellis.
Extincta per te Maxime Pontifex
Sit exulum licet tyrannis,
Nec amplius pestis patentes
Sæuiat Oenotria per oras:
Tamen Typhæus ter temerarius
Relictus hæres non bene Celtidos
A Rege, quem peremit vnus
Exiguo gladio sacerdos:
Rursus profano cum grege Vasconum
Parisienses obsidet, arrogans
Non debitam sibi coronam
Galliæ, & Imperij secures.
Fietque voti compos, & hæreses
Lutheranas ad libitum feret
Victor per vrbeis: vt subactos
Agricola triticum per agros.
Obstare captis qui poterat suis
Parmensis Heros proh dolor occidens,
Recta petiuit astra, nostros
In tenebris Italos relinquens.
Secum Latini gloria nominis
Iacet sepulchri sub scrobe condita:
Vis præliandi pro decoro
Catholicæ fideique sancta
Est ipsa prorsus perdita: bellifer
Nam quando Mauors, Pallas & innuba
Heroa tam belli peritum
Inuenient similem, paremue?
Casu eius ægrent militiæ Duces,
Sagoque velant corpora lugubri,
Et lacrymas, questusque fundunt
Turma equitum, & peditum cohortes.
Mortem vocantes & Lachesim feram,
Quæ fila rumpens egregij Ducis,

 Tot

Tot obruit viros dolore,
Liquit & in trepido tumultu.
Quis nunc Philippi Regis Iberiæ
Res implicatas Celtide in aurea
Vir explicabit? imminentis
Quis rabiem cohibebit hostis?
Regina flauam quæ regit Angliam,
Lætata tanti funere Principis,
Ducet Britannos in ruinam
Belgij, & Hæreseos fauorem:
Et pro virili, classe, pecunia
Bellum fouebit: sceptra Lutetiæ
Henricus vt suus capessat,
Frænet & imperio quod obstat.
Rex & Tyrannus Threicij soli
Ad arma coget terribiles Scythas,
Thraetque Riphæos colonos
In Veneti exitium Senatus.
Armata classis milite barbaro
Soluet rudentes Bosphorio e sinu,
Atque vrbium centum potentem
Marte petet furiante Cretam.
Iamque Arianis fultus Erinnybus,
Descendit altis nuper ab Alpibus,
In stirpe fulgentem vetusta
Austriaci generum Philippi:
Per cuncta currens arua Sabaudiæ,
Eurus per vndas vt maris Inferi,
Immanis Aldinghera flammis
Allobrogum populatur agros.
Exurge CLEMENS *Maxime Pontifex,*
Et inquietis fluctibus obrutos
Nos erue, & seruos fideles
Concilia Superum parenti:
Quæcunque posces a patre luminum,
Pro sanctitate, & moribus aureis,
Certe impetrabis: & repente

Afferret

Afferet auxilium petenti.
In puppe donec sederis, & tua
Clauum tenebit dextra tenaciter:
Nunquam per æquor, & procellas
Naufragium faciet carina.

AD ODOARDVM FARNESIVM Principem Serenisſ Et S. R. E. Cardinalem Amplisſimum.

LVgete Musæ flebilibus modis,
Et luctuosas fundite nænias:
Sic castra poscunt: sic requirit
Marspiter: & ratio duelli.
Parmensis Heros proh scelus impudens?
In Gallicanis finibus occidit,
Et milites suos, suosque
In lacrymis socios reliquit.
Quantum Latinis interijt Decus?
Et quale Iberis præsidium? nurus
Heroa talem nec Lacœnæ,
Nec Latiæ genuere matres.
Quo nemo vixit corpore pulchrior,
Magisque fortis robore virium,
Quamuis Achillem gens Pelasga,
Hectora Dardanidæ celebrent.
Sed quandò tanti patris imaginem
In bellicoso cerno RANVTIO
Florere rursus alba pulchrum
Lilia per Latium videbo:
Videbo rursus lilia Belgicis
Florere in oris: munia filio
Curante, cum dolore Regis
Quæ genitor moriens reliquit:
Nam præliorum Rex memor omnium,
Quæ pro decoro gessit Iberiæ
Dux noster: in locum parentis

Substituet sobolem: sed ante
Vxore ducta sanguine regio,
Ne si (quod absit) prole carens cadat:
FARNESIÆ gentis, domusque
Funditus intereat propago.
Hac patris hæres, laudis & æmula,
Bello lacesset Borbonium Ducem:
Lutetia qui sperat amens
Absque Dei auxilio potiri.
Vis qua repugnat consilio Dei,
Non uota latos ducit ad exitus:
Sed fracta cum fragore summo
Labitur in Domini ruinam.
Sic ille quondam centimanus Gyges
Sæuo Gigantum cum grege concidit:
Pubesque Titanum perempta est,
Ausa manu scelerare cælum.
Atne DVARTES plus nimio gemas
Mortem parentis magnanimi: precor
Solare Tute sæpe nostris
Versibus, & Melicis Camænis:
Inuidit eius funebris Atropos
Felicitati: nec mora: stamina
Cum duplici sorore ferro
Amputat, & viduat cohortes
Ductore: ciues Principe: filios
Parente: Regi quid rogo acerbius,
Vsquam locorum, gentiumque
Accidit aut grauius Philippo?
Natum sororis perdidit: Italis
Natura terris quo melius nihil
Dedit, dabitque: prisca rursus
Secla licet redeant in æuum.
Classem scytharum cum Duce Auunculo
Qua feruet æquor Dulichium, face
Cremauit: & Turcas trementeis
Traxit ad Ausonium Pelorum:

Fremenque

Fremensque victor transtra per & foros,
Se glorioso sanguine polluit,
Byzantij cadens Tyranni
Fulmineo gladio cohortes.
Cunctis ab oris expulit hæresim:
Seruile Belgis imposuit iugum,
Ac penderent Regi coëgit
Non leue Carolidæ tributum.
Videre Celtas Flandrigenæ viri
Cum fratre Regis per loca deuia
In Galliam redire cursu
Cornipedum nimis incitato;
Videre Iberos, agmen & Italum
Laborioso puluere sordidum;
Farnesio premente Gallos
Per salebras, syluas, & amnes.
Quæ penna vatum, linguaue rhetorum
Narrare possit, Marte quot oppida,
Vrbesque cepit? quot subegit
Hæreticis Proceres fauenteis?
Quare Duartes gloria purpuræ
Sacræ, & Senatus purpurei decus,
Omitte fletus, & querelas;
Semper erit genitor superstes.
Temnet proterua Mortis aculeos,
Nullisque secli nubibus obrutus,
Ad astra scandet, cum marita
Perpetuo fruiturus æuo.
Gotfredus vrbem qui Solymam hostibus
Ademit, acreis & domuit Syros,
Sibi perenne comparauit
Nomen, & egregios triumphos.
Minore dignus non tuus est Pater
Honore; Christo qui duce Flandriam
Redoccupauit, & recepit
Omnia, quæ fuerant sub hoste.
Et ni triremes Regis Iberiæ

Rex inquietis flatibus Aeolus
Per sæua diuersas tulisset
Aequora, disijciens procellis,
Elisa quæ nunc in solio sedens
Felix, Britannos imperio regit,
Priuata seruiret Philppo,
Digna premi grauiore pœna:
Dux Marte claros traijciens viros,
Breui occupasset nauibus insulam,
Vinctamque duxisset superbo
Non humilem Dominam triumpho.

AD RANVTIVM FARNESIVM Parmæ, & Placentiæ Ducem Serenissimum.

PRINCEPS *Ranuti gloria Principum,*
Europa prisco tempore quot tulit,
Nostrisque quot feret diebus
Progenies animosa matrum,
Si Clotho sæuis iuncta sororibus,
Tui parentis stamina discidit,
Et improba Mortis cadentem
Ire sub imperium coegit:
Curret superstes fama per omnia
Qua luce Titan purpurat oppida:
Partique de Belgis triumphi
Semper erunt celebres per orbem.
Vectus per auras Pierijs rotis,
Viset Gelonos, viset & Indiam,
Atque Herculis tangens columnas,
Noscet Hyperboreos colonos.
Maiore sumpta Melpomene Lyra,
Quæcunque gessit nauibus, aut equis,
Gaudebit annosum per æuum
Perpetuis memorare chartis.
Quis natus vnquam Caucaseo in iugo,
Aut altus Afræ tigridis vbere,

Hoc

Hoc audiens funus profusis
Temperet a lacrymis ocellos?
Illum reposcit mæsta Lutetia
Erepta flammis Borbonij Ducis:
Qui rebus ebrius secundis,
Franciadi exitium parabat.
Sed pulsus illinc cum scelerum globo,
Non absque sensit sanguine Vasconum.
FARNESIVS quid posset Heros
Martis in horribili duello
Nutritus altis sub penetralibus
Magni Philippi Regis Iberiæ,
Vitamque degere assuetus
Vnguibus a teneris sub armis.
Roma per illum redditus est honos:
Virtusque regnat bellica: & Itali
In prœlio nouere ferrum
Imbuere Hæretico cruore.
Ad astra tollit relligio caput
Sancta Triados fulgida lumine,
Quum sit sub Inferos fugata
Vana superstitio Lutheri.
Mauorte captis vrbibus, hostibus
Pius solebat parcere: & amputans
Clementia culpam, iacentes
Dextera, & alloquio leuabat.
Verenda summi templa Dei iubens,
Fœdata fumo Teutone ab impio,
De publico sumpto ære, & auro,
Diuitibus decorare saxis.
Hac arte quondam magnanimus pater
Confisus arceis attigit igneas
Octauius charus Gradiuo,
Charus & Aegisonæ Mineruæ.
Isthac eadem fortis Horatius
Effugit atra regna Proserpinæ:
Vnaque cum suis recumbens,

Nectareo rigat ora melle.
Hoc tu RANVTI præsidio ferox,
Aequabis armis belligerum patrem,
Tuosque duces ad Quirites
Hostibus e domitis triumphos.
Proh spes inanes? votaque inania?
Hoc tota casu concidit Ausonis:
Lethalis hoc casu maniplis
Est data pernicies Iberis.
Rursus Typhœus tecta Lutetiæ
Inuadet, acri robore militum
Innixus, & Parisienses
Bombiuomis feriet procellis.
Tam glorioso Principe mortuo,
Sperabit audax quidlibet: & suo
Per saxa, & ignem quæret vltro
Purpuream capiti tyaram.
Nil non profanæ perficient manus
Regis Nauarræ, quem Satanas ferus
Impellit, & furens Elisa
Euehit ad diadema regni.

OB OBITVM ALEXANDRI FARNESII Parmę, & Placentiæ Ducis serenissimi dolendum esse.

NVNC est dolendum, nunc toga lugubris
Sumenda: Musis nunc geminantibus
Lamenta, fas caput sodales
Cingere funerea cupressu:
Antehac nefandum dicere nænias,
Dum sceptra regni Parrisiensibus
Præclara vis Farnesiana
Restituit sine clade victrix:
Queis inquinato cum grege Vasconum
Morbo Lutheri, Celtides appetens
Fasces Typhæus & secures,

Funus

Funus, & exequias parabat.
Sed Italorum territus agmine,
Vix sospes vnus fugit ab vnguibus
Marsa cohortis, dorso Iberos
Permetuens, lepus vt molossos.
Parmensis Heros terga fugacium
Equis adurgens, & peditum globo,
Vt Brutius Sila in niuali
Capreolos, timidosque ceruos,
Regis profani colla tenacibus
Vinclis ligaret : qui muliebriter
Enses pauescens, cum Britannis
Se abdidit in tenebras profundas;
Non rursus ausus pralia dextera
Tentare, vultum cernere nec Ducis o
Haurire Colchicum venenum,
Aut gladio terebrare pectus
Deliberatus, fortior aspero
Leone Pœno, victus abominans,
Captusque seruari triumpho,
Vt fidei capitalis hostis.

IN OBITVM ALEXANDRI Farnesii, Parmę, & Placentiæ Ducis Serenissimi.

HVc cum puellis plectripotens nouem
Accurre Paan, dum cano nanias
Nepotis in in funus Philippi
Austraci, sata patre Carlo
Quem dat marito Margaris aurea :
Sed in feraci cadit Atrebato
Ministra lethi Parca, in hosteis
Dum properat generosus Heros.
Qui non cruento in puluere procidit,
Ictus sagitta, quum veluti leo,
In Vasconas sauit furenteis;

Teutonas aut gladio trucidat.
Nec inquieti marmoris arbiter
Inter nitenteis mergit Echinadas,
Quum mille Auunculo iuuante,
Opprimit Othomani triremes.
Nec tot prehendunt insidiæ hostium,
Doliue Elisæ sceptra Britanniæ
Quæ gestat, & tenet Batauos
Regis in opprobrium Philippi.
Proh turpe factum? proh scelus improbum!
Nefasque terris non tolerabile?
Atrebati sublapsa venis
Hydropisis scelerata perdit.
Hic mutat Hydrops dulcia tristibus,
Hic pro suaui nectare toxicum,
Absinthium pro melle mœstis
Centurijs peditum ministrat.
Scarpis stupescens, non sine lacrymis
Se flexuoso mergit in alueo,
Chorusque Nympharum capillos
Præ nimio lacerat dolore.
Ducemque lugens, nocte reflagitat,
Die reposcit: nec semel impium
Te clamat Hydrops: reddit Echo
Vallibus è resonis querelas.
Tu Fama cursu pennigero volans,
Tam triste fatum Principis obsecro,
Ne perfer aures ad Typhæi,
Qui Superos iaculis lacessit:
Sibique fasces Celtidos appetens
Non verus hæres: firmus ab hæresi
Germanicæ pestis, nefandum
Seruitium Ausoniæ minatur.
Ne tam beata letitia tumens,
Ad arma Belgas concitet: & trahat
Secum Britannos in ruinam
Vrbis & exitium Quirini.

De plebe vt vnus Dux bone corruis,
Iacesque parua sub tumuli scrobe:
Apollo nec te iuuit artis
Pœoniæ, & citharæ repertor.
Verenda nec te Relligio in Deum,
Fidesque texit Iustitia soror,
Pro laude cuius, & salute
Te obijcis innumeris periclis.
Sed quando magno sic placitum Deo,
Qui cuncta mundi de nihilo creat,
Vitalis aurai tepore
Functus, vt ad Superos abires.
Vbi Maritæ morigeræ additus,
Auisque priscis laudibus inclytis,
Insonte cum choro piorum
Perpetua frueris quiete.
Eius volunta. sit rata in æthere,
Terrisque: iustum nil nisi postulat
A gente, quam suo redemit
Sanguine Tartareis ab vmbris.
Virtute mactus procidis integra
Cum laude, fulgens moribus optimis,
Sanctaque vita, Regi amicus,
Et Ducibus, Procerumque turbis.
Quis dicat vnquam vel pede libero,
Vel lege vincto præmia fortium
Virum, triumphos, & trophæa,
Quot gladio tibi comparasti?
Scit Belga quantum consilio, & manu
Posis in armis: scit profugus Scythes,
Echinadas iuxta madentes
Æquoreo domitus duello:
Scit & Britannus Christiadis ferox,
Fraterque Regis Celtidos, vnicus
Tot inter arma quem sacerdos
Vulnere lethifero cecidit.
Quondam Pelasgi belligeri viri

(Ni falsa

(Ni falsa vates Mœonides canit)
Gessere bina lustra bellum
Cum Priamo, Priamiqne natis:
Et post Sinonis fraudibus, & dolis
Vxere flammis Pergama, & Oebalim
Causam malorum reddidere
Par vt erat, patria, & marito.
Tu (nota canto gentibus omnibus)
Paruo potiris tempore ciuibus,
Et vrbe Traiecto superba,
Quam mediam secat vnda Mosa.
Post hac secundis vsque laboribus
Creuere partes Regis Iberia:
Mox hinc profectus, sauientes
Pellis ab Hannonia rebelles.
Essetque Iberis Camaracum additum,
Ni Gallus illi subsidio ocyus
Venisset acer: Oppidanos
Sic grauis obsidio premebat.
Nec absque fuso sanguine ciuium,
Et praltantum cladibus, occupas
Mauorte Tornacum: piusque
Virginibus, puerisque parcis.
Gauera Iberis se dedit impotens,
Experta vires, & Latias manus:
Tuamque capta sensit iram
Lyra potens opibus, virisque.
Forteisque vidit terga Bironius,
Gallos Iberis vertere: & omnia
Vndare casorum cruore
Pradia, qua Druida frequentant.
Bruxella subdis victa caput iugo:
Idemque perfers Bruga: nec abnuis
Vrbs Ipra, Gandauumque habenas,
Regis & imperium Philippi.
Non te silebo docta Lutetia
Nefariorum e faucibus eruta,

Falso

Falso fugato Rege, falsum
Rhenicola comitante Regem.
Nec te relinquam Rhottomage, impius
Quam Rex studebat tollere stirpitus.
Rex absque regno, & absque nummis
Austriadas fera ad arma poscens.
Vallata Scaldis fluminis alueo,
Circumque muris cincta adamantinis,
Antuerpia es subacta ab hoste,
Arte noua, sine fraude capta:
Dux namque facto ponte super vagum
Flumen, carinas arcet ab oppido,
Quæ de Britannis, & Batauis
Ciuibus auxilium ferebant.
Ne multa Ianus carmine colligam,
Totum subegit Belgium: & insuper
Iussit quotannis vt tributum
Ferret ad Austriaden Philippum.

AD CANDIDVM LECTOREM.

Amice Lector perlege nænias,
Nec oro sicco lumine perlege,
Heroa nobis Mors ademit
Conspicuum pietate, & armis:
Nunc multineruem sume lyram manu,
Chordisque canta triste sonantibus,
FARNESII Ducis triumphos
Ingenio, gladioque partos.
Qui per tot annos non sine gloria
Cum gente pugnans insuperabili,
Vi Belgium tandem subactum
Subdidit imperio Philippi;
Et liberauit faucibus hostium
Parisienses: eijciens luem
Vgonis, Henricumque frustra
Borbonijs atauis tumentem.

Si vera fari mi licet, asseram
Structa ante multo mœnia Romuli,
FARNESIO Duce, & Dynasta
Esse nihil melius creatum :
Licet Pelasgi sydera ad aurea
Vehant Achillem : Dardanidæ Hectora:
Thebæ Herculem : Croto Milonem:
Scipiadas geminos Quirites :
Hac vita concors dum fuerit mihi,
Heroa neruis Pierijs canam
FARNESIVM : modis solutis
Ni potius super astra tollam.
Christique numen Maximi, & Optimi
Rogabo, sanctis additus vt viris,
In atrio stellante Olympi
Perpetua requie fruatur.
Tu grande CLEMENS præsidium meum
Ne temne carmen flebile nænias:
Quas nocte fundo, luce fundo,
Atque vicem doleo Duartis.

FINIS.

